

Virtutum expositor, regulator morum,
 Cato prior sedeat in ordine minorum.
 Quis iste Cato fuerit a multis dubitatur,
 Nam Catones plurimos Rome fuisse datur
 Diversis temporibus ut Cato Uticensis,
 In Africam quem Iulii minax fugat ensis,
 Catoque censorius rigidusque Cato.
 Nullus horum tribuit hec precepta nato.
 Cato disertissimus Ieronimo testante,
 Cato prudentissimus Tullio monstrante,
 Librum hunc de moribus is creditur scripsisse
 Et sub forma filii pueros instruxisse.
 Et quamvis in numero sedeat minorum,
 Ponitur in ordine tamen antiquorum.

Sequitur in ordine morum instrumentum,
 Libellus qui dicitur *Catonis supplementum*,
 Qui docet egregie cunctos disciplinam,
 Qui vitare gestiunt dedecoris sentinam.

(Hugo v. Trimberg, *Registrum multorum aucto-
 rum*, 673—686, 811—814.)